

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon edificavit domum suam, et domum reginæ, et domum saltus Libani; mox, vers. 43, fabricavit duas columnas, ac vers. 23, mare æneum, et vers. 38, decem luteræ, cæteraque vasa templi.

1. Domum autem suam edificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit. 2. Edificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis; et quatuor deambulacra inter columnas cedrinæ: ligna quippe cedrina exciderat in columnas. 3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim. 4. contra se invicem positas, 5. et e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, et super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis et triginta cubitorum latitudinis, et alteram porticum in facie majoris porticus et columnas, et epistylia super columnas. 7. Porticum quoque solii in qua tribunal est, fecit; et textit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. 8. Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filia Pharaonis (quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quasi et hanc porticum. 9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant, a fundamento usque ad summitatem parietum, et extrinsecus usque ad atrium majus. 10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. 11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro. 12. Et atrium majus rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolata cedro, necnon et in atrio domus Domini interiori, et in porticu domus. 13. Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro, 14. filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium et plenum sapientia, et intelligentia, et doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus. 15. Et finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam, et linea duodecim cubitorum ambiabat columnam utramque. 16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum; 17. et quasi in modum retis, et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero. 18. Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella quæ erant super summitatem malogranatorum; eodem modo fecit et capitello secundo. 19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere liliæ fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. 20. Et rursus alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula; malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuito capitelli secundi. 21. Et statuit duas columnas in porticu templi; cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen ejus Booz. 22. Et super capita columnarum opus in modum liliæ posuit, perfectumque est opus columnarum. 23. Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuito: quinque cubitorum altitudinis ejus, et retacula triginta cubitorum cingebat illi per circuitum. 24. Et sculptura subter labium circuebat illud decem cubitis ambiens mare.

duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. 25. Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad Aquilonem, et tres ad Occidentem, et tres ad Meridiem, et tres ad Orientem; et mare super eos desuper erat, quorum posteriora universa intrinsecus latitabant. 26. Grossitudo autem luteris trium unciarum erat: labiumque ejus, quasi labium calcis, et folium repandi liliæ, duo millia batos capiebat. 27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis. 28. Et ipsum opus basium interrassile erat; et sculpturæ inter juncturas. 29. Et inter coronulas et plectas, leones, et boves et cherubim; et in juncturis similiter desuper; et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia. 30. Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei; et per quatuor partes quasi humerali subter luterum fusiles, contra se invicem respectantes. 31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium, in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: et media intercolumnia, quadrata non rotunda. 32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, coherebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum et semis. 33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: et axes earum, et radii, et canthi, et modioli, omnia fusilia. 34. Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles et conjuncti erant. 35. In summitate autem basis erat quedam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis, cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. 37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura, sculpturæque consimili. 38. Fecit quoque decem luteræ æneas: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteræ per singulas, id est, decem bases, posuit. 39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram; mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem. 40. Fecit ergo Hiram lebetes, et secutras, et hamulas, et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41. Columnas du as, et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos, et retiacula duo, ut operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum. 42. Et malogranata, quadraginta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum. 43. Et bases decem, et luteræ decem super bases. 44. Et mare unum, et boves duodecim subter mare. 45. Et lebetes, et secutras, et hamulas: omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomon in domo Domini, de aurichalco erant. 46. In campestri regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth et Sarthan. 47. Et posuit Salomon omnia vasa, propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini, altare aureum, et mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream; 49. et candelabra aurea, quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro; et quasi liliæ flores, et lucernas desuper aureas, et forcipes aureos; 50. et hydrias, et fuscinulas, et phialas, et mortariola, et thuribula, de auro purissimo; et cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi, ex auro erant. 51. Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum et aurum, et vasa, repositique in thesauris domus Domini.

Vers. 1. 1. DOMUM AUTEM SUAM EDIFICAVIT SALOMON TREDECIM ANNIS. — Tres domos hæc tredecim annis edificavit Salomon, scilicet domum suam, domum filie Pharaonis reginæ, et domum saltus Libani, patet vers. 2 et 8; has enim tres domos fuisse distinctas patet ex seq. Itaque censent Lyræus, Abulensis, Cajetanus, Dionysius, Hugo, Vatablus et alii passim. Hæc tamen tres domus, III Reg. 12, 10,

hæc enim tres domos fuisse distinctas patet ex seq. Itaque censent Lyræus, Abulensis, Cajetanus, Dionysius, Hugo, Vatablus et alii passim. Hæc tamen tres domus, III Reg. 12, 10,

et II Paralip. VIII, 4, vocantur una domus, quia erant contiguae et connexae, ita ut non tam tres domus, quam tres partes vel tria membra unius ejusdemque domus esse viderentur. Sic enim palatium regis vel Pontificis plures in se habitationes, et quasi plura palatia comprehendit. Ita Iosephus, Vilalpandus, Pineda et alii.

Porro sicut David domum suam regiam aedificavit in Occidentali parte montis Sion juxta templum, sic Salomon suum palatium aedificavit in Orientali parte ejusdem montis Sion juxta templum, tum ut templum totumque montem Sion hisce duabus domibus, quasi duabus arcibus munitur; tum ut ex iis urbem Jerusalem eis subjectionem defenderet, ut in officio confineret; tum ut facile templum adire, Deoque litare et sacrificare posset.

TRIDECIM ANNIS. — Pluribus annis, ideoque tardius aedificata est regia quam templum; hoc enim septem annis perfectum fuit, ut dictum est cap. VI, 37. Causa fuit prima, devotio et fervor Salomonis urgentis opus templi, quasi domus Dei; secunda, quia ad templi fabricationem materiam omnem et sumptus jam ante preparaverat David; tertia, quia populus fabricam templi ardentius juxta et promovit. Ita Iosephus. Adde, Salomonem his tridecim annis tres domos aedificasse, scilicet suam, reginam, et saltus Libani. Ita Abulensis.

2. AEDIFICAVIT QUOQUE DOMUM SALTUS LIBANI. — Erat haec domus ad elegantiam, amoenitatem et recreationem comparata. Sed cur dicitur « saltus », sive sylvia « Libani »? Respondeo primo, quia in loco sylvestro montis Sion, ac insuper Libani arboribus et viridibus cincta. Nam « saltus » proprie dicitur densior sylvia et invia, quod ibi arbores saliant, in quo aestivare et pasci pecudes solent, ait Valla, lib. IV. Unde II Paralip. IX, 16, ubi nos habemus « posuitque ea (scuta) rex in armamentario, quod erat consitum nemore; » Hebraei et Septuaginta habent, posuit scuta in domo saltus Libani. In hac enim domo Salomon reposuit arma militaria, ibique erat ejus armamentarium. Secundo, quia domus haec constructa erat ex lignis Libani. Ita Abulensis et Serarius. Tertio, quia suis nemoribus, amenitate, viriditate, umbra speciem Libani referebat. Quarto, quia multitudo columnarum cedrinarum cedros Libani imitabatur. Ita Theodoretus. Quinto, quia ex ea prospici poterat Libanus, ejusque aura et frigus tempore aestivo captari et excipi. Ita Arius. Unde Iosephus et Chaldaei eam vocant domum refrigerii. Perperam ergo Guilielmus Tyri Episcopus, lib. XVIII Belli sacri, censet hanc domum dici « saltus Libani », quod in monte Libano foret aedificata. Sita enim erat in Jerusalem et in monte Sion.

ET QUATOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS. — Nota: Domus saltus Libani inferne, sive sub se habebat haec quator deambulacra, ita videlicet ut inferne in longum porrecti essent tres

ordines columnarum intercepti inter duas parietes domus: inde enim spatium intermedium necessario exurgebant quatuor deambulacra. Quisquam autem columnarum ordo habebat quindecim columnas in longum, aequaliter ex adverso columnarum aliorum duorum ordinum dispositas, ita ut inter tres columnarum ordines duo essent ambulacra, atque tertium foret inter unum columnarum ordinem et parietem domus ex uno latere, quartum vero inter alium columnarum ordinem et parietem ex altero adversoque latere. Quare haec ambulacra tam longa erant, quam erat ipsa domus. Vide Abulensem, Quaest. II et seq.

3. ET TABULATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM. Vers. 4. — « Cameram » vocat fornicem: haec enim lit opere concamerato, estque ipsa domus concamerata.

6. ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT QUINQUAGINTA Vers. 4. CUBITORUM LONGITUDINIS, ET TRIGINTA CUBITORUM LATITUDINIS. — Ita videlicet ut longitudo porticus hujus annecteretur latitudini domus saltus Libani, quae etiam erat quinquaginta cubitorum: latitudo vero porticus annecteretur longitudini domus eisdem transversim: unde fiebat ut domus centum cubitorum longitudinis, additis hisce 30 cubitis latitudinis porticus, evaderet longa 430 cubitos.

ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAJORIS PORTICUS, — q. d. Salomon « in facie », id est ante hanc porticum majorem adherentem domui saltus (erat enim porticus haec domus ipsius quasi introitus et vestibulum) fecit aliam minorem porticum, ad majorem porticum proportionatam gradationem, decus et ornamentum.

7. PORTICUM QUOQUE SOLII IN QUA TRIBUNAL EST Vers. 7. FECIT. — Est haec tertia porticus, non vestibularis, sed judiciaria, ideoque non domui saltus Libani annexa, uti duae priores jam dictae, sed separata, et per se consistens, non longe tamen ab aliis duabus, et a domo saltus Libani dissita. Haec porticus vocatur « solii », quia in ea erat solium Salomonis regale et judicium, statuis leonum circumseptum, de quo cap. X, 18. Ita Abulensis et Pineda.

8. ET DOMONUCULA IN QUA SEDEBATUR AD JUDICANDUM, ERAT IN MEDIA PORTICU. — q. d. In tertia hac porticu erat domonucula, in qua erat solium sive thronus Salomonis jam dictus, juxta quem et circa quem humiliores erant throni sive sedes, in quibus sedebant consiliiarii et principes cum Salomone judicaturi, quasi quae assessores: ex quibus omnibus conflabatur judiciale tribunal, pluribus judicum sedibus constans, quod domonucula quadam claudabatur, et quasi tegebatur, ut assessores cum Salomone de re quampiam inter se secreto consultaturi, vel sententiam dicaturi, semoti essent a litigantibus, et a populo, qui circumcirca in porticu ambulabat, vel ad iudicium veniebat. Quare domonucula haec fuit minor quadam aedificata; compacta ex cedro, et undecum-

que clausa, ut confineret solum regem cum suis consiliiariis, habens tamen suum ostium, per quod suffraganeos alique jus suum vel gratiam quamquam postulantes ad solum regis accedebant, et ab eo vel jus vel gratiam flagitarent et impetrarent. Haec etiam fenestras plures, ut iis apertis rex sententiam pronuntians, vel jus dicens, aut quid aliud promulgans a toto populo videri et audiri posset. Erat enim hoc quasi praetorium Salomonis. Ita Lyranus, Dionysius, Sallianus et Pineda, lib. VII De Rebus Salomonis, cap. VII.

DOMUM (PALATIUM) QUOQUE FECIT FILIE PHARAONIS, — quasi primariae suae uxori et reginae. Causa datur II Paral. VIII, 41, ubi dicitur: « filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David in domum quam aedificaverat ei. Dixit enim rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit, quia ingressa est in eam area Domini. »

9. OMNIA LAPIDEIS PRETIOSIS, — scilicet facta erant e marmore, vel porphyreato, vel opbite, sive serpentino, etc., nimis enim pretiosum fuisse in domo tam vasta omnia ex gemmis, scilicet ex smaragdus, carbonibus, adamantibus, etc., fabricare. « Lapis ergo pretiosus » vocatur hic marmor pretiosum.

ET EXTRINSECUS (MALE QUIDAM LEGUNT, INTRINSECUS) USQUE AD ATRIUM MAJUS. — Hinc patet, praeter tres porticus jam dictas fuisse in domibus hisce Salomonis atrium majus, de quo vers. 12; porticus enim ex eodem lapide pretioso sive marmore factae videntur, ex quo ipsa domus, ut hic locus insinuat.

11. SIMILITERQUE DE CEDRO. — q. d. Cedri adhibite ad fabricam domorum Salomonis aequali mensura secti et aptate sunt, sicut secti erant lapides pretiosi earundem.

12. ET ATRIUM MAJUS ROTUNDUM (IN DOMIBUS SALOMONIS JAM DICIS VERS. 9, SUBAUDI FABRICAVIT SALOMON), TRIUM ORDINUM DE LAPIDIBUS SECTIS, ET UNUS ORDINIS DE DOLATA CEDRO: NEC NON IN ATRIO DOMUS DOMINI INTERIORI, ET IN PORTICU DOMUS, — q. d. Sicut Salomon in atrio templi interiori, id est in atrio sacerdotum, fecit murum habentem tres ordines lapidum sectorum, et unum de dolata cedro, ut hoc muro separaret atrium interioris sacerdotum ab atrio exteriori laicorum, uti dictum est, cap. VI, 36; sic prorsus idem fecit in atrio domorum a se aedificatarum, et in porticu.

DICES: Atrium sacerdotum aequae ac laicorum, erat quadratum, ut dixi cap. VI, vers. 36, quomodo ergo hic dicitur rotundum? Respondeo: Erat quadratum constans septenis areis quadratis; dicitur tamen rotundum, quia circumcirca cinctum erat tribus ordinibus lapidum jam dictis. Unde pro rotundum Hebraice סבב סבב, id est circumcirca, sive in circuitu, qui circuitus hic erat quadratus, non rotundus. Ita Pineda, lib. V, cap. XVI, in fine.

14. MISIT QUOQUE REX SALOMON, ET TULIT HIRAM

DE TYRO FILIUM MULIERIS VIDUAE DE TRIBU NEPHTHALI, PATRE TYRIO. — Tis de tribu Nephthali refer non ad mulieris viduae, sed ad Hiram artificem. Hic enim fuit ex tribu Nephthali, ut patet ex Hebraeo, Chaldaeo et Septuaginta; mater vero ejus fuit ex tribu Dan, ut dicitur II Paral. II, 13.

DICES: Quomodo ergo pater Hiram dicitur fuisse Tyrius? Respondeo: Hiram gente erat Judaeus, puta Nephthali; sed habitatione et exercitio artis erat Tyrius. Tyri enim habitabat, ibique artem affabre laborandi didicerat et exercebat. Ita S. Hieronymus, Hebraei, Lyranus, Cajetanus et alii. Sic S. Paulus vocatur Tharsensis, quia Tharsi erat natus et educatus, cum gentis et generis esset Hebraeus.

45. ET FINIIT DEAS COLUMNAS AERIAS, — Booz et Jachin. Haec duae columnae templi fase hic describuntur usque ad vers. 23.

DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS COLUMNAM UNAM. — Intelligit quoad stipitem sive scapulam columnae, nam II Paralip. III, 43, dicitur quaelibet columna fuisse 33 cubitorum, scilicet quoad quoque et supputando quantitatem basis, capitis et coronae, qua in apice ornabatur. Ita Abulensis, Lyranus et Cajetanus. Verum haec in justa architecturae proportionem non possunt ascendere ad tantam altitudinem, ut ipsi columnae pene aequarentur. Quare melius alii respondent quod utraque columna simul juncta erat 33 cubitorum: licet enim universim esset 36 cubitorum (nam his octodecim faciunt 36), tamen in utraque medius cubitus insertus erat suo capitulo, in eoque absconditus non apparebat. Ita Vatablus et Ribera, lib. II De Templo, cap. XII. Tertio, et verisimiliter, Vilalpandus, lib. V, cap. V, et ex eo Sallianus respondent singulas columnas cum basi sua fuisse septemdecim cubitorum cum dimidio, secta plintho quae absolvit decimum octavum. Sectio autem plinthi causa fuit, quod reliqua columna cum sua basi cava foret, quam propletea oportuit super solidam plinthum inniti, ideoque seorsim a columna plinthum fundi; plinthus enim est ultima pars basis, quae spiris subjacet, ita dicta quod סבב, id est laterem, forma sua representat (unde et Gallice vocantur plinthes); plinthus enim est exaequata latitudine velut tabula. Unde et apud Vitruvium, lib. III, cap. II, spirarum plinthes, sunt plinthi basium. Plinthus ergo, id est hanc pars basium hic non computatur, quia hanc architectus prudenter solidam fundere voluit, ut totum opus columnae, quae cava erat, firmius sustentaret et confineret: utraque igitur columna simul juncta erat 33 cubitorum seculus plintho, quia quaelibet erat alta septemdecim cubitos cum dimidio; hos enim duplicata, et habebis 33 cubitos.

ET LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE. — Hebraice, et flum duodecim cubitorum circuebat columnam secundam: si secundam, ergo et primam: erant enim haec duae columnae omnino aequales et pares. Per lineam, vel,

ut Hebraice est, *filum*, intellige mensuram: filo enim mensuramus rerum crassities, *q. d.* Columnae hae in ambitu et crassitie habebant mensuram duodecim cubitorum: «linea» ergo notat peripheriam, sive circumferentiam. Iam Vilalpandus, et ex eo Saliarius volent non unam, sed «utramque» columnam simul junctam habuisse hanc duodecim cubitorum mensuram, ita ut dimidia pars lineae sive filii 12 cubitorum ambiret unam columnam, altera pars filii alteram: sic ut una columna fuerit crassa sex cubitos, et totidem altera, ac consequenter utraque simul crassa fuerit 12 cubitos: hoc enim exigit symmetria et proportio, ut cum quaelibet columna esset alta 18 cubitis, crassa non esset nisi sex cubitis: altitudo enim est tripla ad crassitiam.

Verum unamquamque columnam crassam fuisse 12 cubitos discrete docet Josephus et Jeremias, cap. III, vers. 21, ubi columnas has a Chaldeis Jerusalem vastantibus abductas describens ait: «Jerusalem duodecim cubitorum circumbat eam», scilicet columnam unam. Sic et Septuaginta hic: *Et pertinetrum*, inquit, *duodecim cubitorum filum ambiat eam* (columnam primam), *et sic columna secunda*, scilicet erat pariter 12 cubitorum, etc., et Chaldæus, *et filum*, inquit, *duodecim cubitorum ambiat illam*, *et sic fecit columnam secundam*. Erant ergo hae non tam columnae ad symmetriam et proportionem architectonicam columnarum fabricatae, quam moles et turres, vel arces quaedam ingentes aeneae ad templi magnificentiam et munimen erectae. Sic Romae columna Trajana (aeque ac alia Antonini Imperatoris) est crassissima instar turris, adeo ut plures viri expansis brachiis eam in circuitu complecti nequeant. Unde et intrinsecus continet cochleam, qua per gradus ab imo ad summum ascenditur. Denique priscae alias fabricarum suarum rationes et proportionem spectabant, diversas ab his quas spectavit Vitruvius et posteriores architecti. Ita Sanchez, Vatablus, Pagninus et alii.

Porro addit Jeremias, columnas has intrinsecus cavas fuisse, ita tamen ut grossitudo aeris extrinsecus esset quatuor digitorum in circuitu. Unde Vilalpandus, lib. V, cap. xxviii, haec mensuras iuxta proportionem in sua opinione librans, censet singulas hasce columnas ponderasse quinque talentorum millia, utramque vero decem talentorum millia. Addit Eupolemus apud Eusebium, Salomonem totas columnas vestivisse auro ad crassitudinem digiti unius. Unde colligit Vilalpandus in columnis his auro vestiendis expensas fuisse 85 miliones.

Denique si columna in circuitu habebat 12 cubitos crassitiei: ergo in circuitu sive circuli hujus diametro habebat 4 cubitos: diameter enim est tertia pars peripherie sive circuli: circulus enim continet diametrum ter, et insuper septimam ejus partem: quare inter diametrum et circulum illa est proportio, quae est inter septem et viginti duo.

Ita Abulensis, Ribera, Vatablus. Porro in proportionem et symmetria crassitiei ad altitudinem spectatur crassities non tam circuli, vel circulus, quam diametri. Cum ergo columna hae in diametro crassa fuerit duntaxat 4 cubitos, alta vero 18 cubitos, fuit ea proportio inter crassitiam et altitudinem, quae est inter 4 et 18, quae satis est aequa et congrua. Columnarum enim proportionibus ab hominum dimensionibus et proportionibus desumptae sunt. Videmus autem inter homines alios esse graciles, sed altos, alios vero crassos et breves: quia quod natura dat crassitiei, hoc demittit altitudini: his ergo similis fuit haec columna crassa et brevis. Adde, columnam hanc praeter 18 cubitos sui scapi sive stiptis, insuper habuisse 5 cubitos capitelli, qui juncti 18 faciunt 23, ergo columna quaelibet alta erat 23 cubitis.

47. ET QUASI IN MODUM RETIS ET CATENARUM, etc. *VER. II.* — *q. d.* Capitella hae cingebantur fasciis quibusdam aeneis (ait Josephus) in modum retis sive catenarum, quae habebant per intervalla aperturas quasi annulos et cancellos, per quos capitellorum elegantia (erant enim liliata, ait Josephus, sive habebant formam liliorum) apparebat.

SEPTENA VERSUUM RETIACULA IN CAPITELLO UNO. — *q. d.* Haec fasciae jam dictae septies circumbat capitella singula, ita ut quasi septem fasciarum versus sive ordines et gyros efficerent: versus ergo vocat gyros.

48. ET PERFECIT COLUMNAS, ET DUOS ORDINES PER VER. II. CIRCUTUM RETIACULORUM SINGULORUM, UT TEGERENT CAPITELLA. — *q. d.* Singula capitella, et consequenter singulae columnae, habebant duo retiacula, sive duplicem coronam reticulatam et cancellatam, quae instar retis ambiat capitellum, illudque tegebat et ornat. Ita Sanchez. Melius Ribera per «duos ordines retiacularum» accipit duos ordines malgranatorum ex retiaculis dependentium. Id patet ex Hebraeo et Septuaginta, qui habent: *Duo ordines malgranatorum aeneorum retibus contexti, opus pensile, ordo super ordinem*; et ex Josepho, qui ait: «Dependebant inde duae series malorum puniceorum ducentorum numero.» Sensus ergo est, *q. d.* Singuli septeni versus, sive gyri, retiaculi utriusque columnae habebant duos ordines malgranatorum: centum enim malgranata in medio singulorum versus sive gyrorum interposita et quasi inserta erant, ut patet II Paralipom. cap. III, vers. 16, reliqua vero centum malgranata ex iisdem versus sive gyris alterne suspensa dependebant, «ita ut hini ordines malgranatorum singulis retiaculis jangerentur,» ut dicitur II Paralipom. cap. IV, 13.

UT TEGERENT CAPITELLA, QUAE ERANT SUPER SUMMITATEM MALGRANATORUM, — *q. d.* Fecit hae duo retiacula, ut tegerent et circumdarent capitellum, quae retiacula in septena versus, sive gyros, distributa erant super summitatem malgranatorum: nam superior versus, sive gyri pars erat super summitatem malgranatorum appensorum, sive

ex gyro inferne dependentium. Ita Ribera, lib. XII, cap. XIV.

Additur II Paral. III, 16: «Nec non» fecit quasi catenas in Oraculo, *q. d.* Haec fasciae catenarum, sive haec retiacula catenata erant talia, qualia erant illa quae fabricata erant in Oraculo, sive in Sancto sanctorum. Ita Ribera, lib. II, cap. XIV. Aliter Cajetanus: «Fecit, ait, catenas in Oraculo,» id est ad mysterium et significationem, scilicet ut catene ille significarent, et tacite loquerentur futuram regni illius sive Israelis captivitatem.

EODEM MODO FECIT ET CAPITELLO SECUNDO. — Puta in capitello secunde columnae.

19. CAPITELLA AUTEM, QUAE ERANT SUPER CAPITA COLUMNARUM, QUASI OPERE LILII, FABRICATA ERANT IN PORTICU QUATOR CUBITORUM. — Locus hic totus valde obscurus et implexus est: unde a variis veris exponitur, sed ut breviter et clare eum explices: Nota, quaelibet harum duarum columnarum habebat tria capitella: primum et imum erat, quod proxime stiptis, sive stylo et scapo columnae erat impositum, unde proprie vocatur *epistylum*, II Paralipom. cap. IV, vers. 12, eratque altum tres cubitos, ut dicitur IV Regum cap. VII, vers. 17. Secundum capitellum erat imo, sive *epistylum*, impositum, ac tegebat retiaculo jam dicto, in quo viserentur duo ordines malgranatorum; supra hoc secundum exstabat tertium capitellum. Ita Ribera.

Hoc vers. 19, describitur capitellum imum, sive *epistylum*. Sensus ergo est, *q. d.* In duabus hisce columnis capitella ima, quae erant super capita columnarum, id est quae summitati scapi sive stiptis columnarum incumbebant, ideoque *epistyla* vocantur, erant fabricata in formam lili, id est «in porticu quatuor cubitorum,» id est ita ut versus porticum, hoc est in latum, non vero in altum, essent quatuor cubitorum: nam in altum erant trium duntaxat cubitorum, ut dixi. Unde Septuaginta pro «in porticu» vertunt, *iuxta vestibulum*. De secundo capitello jam dictum est vers. 16 et seq., nam circa illud erat retiaculum habens duos ordines malgranatorum. De tertio, sive summo, capitello dicitur vers. proximo. Sic Vitruvius, et ex eo Architecti columnis triplex imponunt capitellum, nimirum *epistylum*, *zophorum* et coronicem. *Epistylum* est capitellum, quod proxime stylo, sive scapo, columnae imponitur. *Zophorus* est illud, quod inter *epistylum* et coronicem interponitur, quod pulvinatis saepe figuris visitur ornamentisque diversis instructum. Galli vocant *la frize*, sicut hic capitellum secundum quasi zophorus retiaculis septenorum gyrorum ac duobus ordinibus malgranatorum ornat. Coronicem vocant ipsam coronidem capitelli.

Vilalpandus censet tria haec capitella simul juncta fuisse quinque cubitorum, ut dicitur vers. 16, ita ut *epistylum* fuerit trium cubitorum, ut

habetur IV Reg. ult. 17, *zophorus* vero duorum cubitorum, coronis denique unius. Alii tandem illos quinque cubitos soli secundo capitello, ut pote quod solum habebat retiaculum, attribuant, cui addunt tres cubitos *epistylli*, et aliquot coronicis. Verum sic capitellum fuisset in quantitate dimidium columnae: hae enim erant 18 duntaxat cubitorum. Quare ut inter capitella et columnam congrua sit proportio, potius dicendum videtur, omnia capitella non excessisse mensuram quinque cubitorum, haec enim proportionem architectonicam habent cum columnae 18 cubitorum.

20. ET REBURN ALIA CAPITELLA IN SUMMITATE COLUMNARUM DESUPER, JUXTA MENSURAM COLENNE CONTRA RETIACULA. — Illic agitur de tertio, sive summo capitello, quod erat quasi coronis columnae addita, «contra retiacula,» id est super retiacula et e regione retiacularum, quod capitellum erat «juxta mensuram columnae,» id est habebat eandem crassitiam, quam columna, scilicet duodecim cubitorum.

MALGRANATORUM AUTEM DUCENTI ORDINES ERANT IN CIRCUITU CAPITELLI SECUNDI. — hoc enim secundum capitellum, ut dixi, ambiat retiaculo, ex quo dependebant centum malgranata, et totidem inserta sive interposita erant: quodque enim retiaculum habebat ducenta malgranata. Altera ergo columna pariter in suo secundo capitelli retiaculo habebat totidem malgranata, puta ducenta. Ergo utrisque junctis erant universim 400 malgranata ex aere fabrefacta, ut dicitur vers. 12, et II Paralip. cap. IV, vers. 13. Porro dependentia malgranata precise fuerunt tantum 96, sed Scriptura numerat centum, ut numerum integrum sive plenum assignet, et forte quatuor reliqua erant quidem, sed lecta non apparebant. Hoc est enim quod dicitur *Jerem. cap. ult. 23*: «Et fuerunt malgranata nonaginta sex dependentia et omnia malgranata centum retiaculis circumdabantur,» hoc est illa, quae interposita erant retiaculis, erant centum; dependentia vero precise non erant centum, sed 96. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. XIV.

21. ET STATUIT DUAS COLUMNAS IN PORTICU TEMPLI, Vers. 21. — quae scilicet porticus erat templi vestibulum, ideoque erat ante Sanctum, nimirum interjecta inter Sanctum et atrium sacerdotum, de qua cap. VI, vers. 3, ita ut una columna una porte porticus, altera alteri astaret. Ita Vilalpandus. In primo, inquit, vestigio sanctuarii eis constituit ab utroque latere porte aule sanctae. Sic et Saliarius, Adrichomius et alii. Male ergo nonnulli has columnas statuunt ante atrium sacerdotum, illi ante atrium laicorum.

CUJUSQUE STATUSSET COLUMNAM DEXTERAM, VOCANT EAM NOMINE JACHIN; SIMILITER DEXIT COLUMNAM SECUNDAM (A SINISTRIS), ET VOCANT NOMEN EJUS BOAZ. — Dox et Jachin Hebraice idem est quod *directus a recto*, a radice *יך* *cau*, id est dirigere. Unde Septuaginta II Paral. cap. III, vers. ult. vertunt *αριστερος*, id est

correctio, directio, recta affectio. Booz Hebraice idem est quod in eo fortitudo. Unde Septuaginta vertunt, *εὐβία*, id est, vis et robur. Nonnulli, ut Beda, Abulensis, Vatablus, Ribera, censent Salomonem idem significasse duobus hisce nominibus «Jachin» et «Booz» scilicet optare se firmitatem et stabilitatem templi. Nam etiam «Jachin» subinde significat firmitatem et fortitudinem. Melius Cajetanus et alii hæc duo distinguunt, ac per «Jachin» id est directionem, accipiunt prudentiam et sapientiam; per «Booz» vero fortitudinem et firmitatem; ut Salomon per «Jachin» significarit templum hoc miro artificio et sapientia esse elegantissime fabricatum; per «Booz» vero fortissime fundatum, munitum et stabilitum: utque iisdem nominibus suum desiderium, et votum patefecerit, *q. d.* Utinam Deus meum hoc templum, quasi suum Jachin dirigat, ac quasi suum Booz roboret, ut a nullo hoste, a nullo fulmine deiciatur. Utinam Deus ditissime hoc meum, imo suum templum tueatur, dirigat ut confirmet!

Rursus dextra columna «Jachin» ait Cajetanus, significabat directivum imperium tum Dei circa omnes creaturas et homines, sed maxime Israelias eorumque templum; tum regum regnumque Israel: unde utraque columna coronata erat. Sinistra vero columna «Booz» significabat fortitudinem ad exequendum ea, quæ per «Jachin» id est per directivum imperium prudenter sunt ordinata: utrumque enim in Deo est Deique providentia, quæ sapienter et fortiter omnia gubernat: utrumque quoque regibus est necessarium. Utrumque ergo Salomon Deo est gratulatus, ac simul optavit et petit, ut utrumque Deus in templi et populi regni custodia ostenderet, sibi que et suis successoribus ad bene regendum eadem communicaret.

Allegorice, columnæ hæc templi significant Ecclesie sapientiam æque ac firmitatem: ipsa enim est columna et firmamentum veritatis, ut huc alludens ait Apostolus, *I ad Timoth.* cap. vi, vers. 15. Vide ibi dicta. Quare Jachin representat Doctores et Rectores Ecclesie: hi enim alios docent et dirigunt in viam virtutis et salutis; Booz significat Martyres virosque fortes. Unde S. Hieronymus, Beda, Eucherius et Angelomus: Columnæ, inquit, sunt Apostoli et Doctores, quia contemplatione ad superna sunt erecti, ac fortes fide et opere. Sunt due, quia Judæos et Gentiles fulciunt. Sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est, in eorum induant. Rursus sunt due ita dispositæ, ut nobis in prosperis et adversis ingressum patrie celestis ante oculos mentis jugiter habendum esse doceant, ut nec adversis deiciamur, nec prosperis extollamur, sed inter utraque contentes in fide et virtute ad cælum tendamus. Ita auctores citati. Linea 12 cubitorum, ait Beda, norma est Apostolicæ institutionis. Columnæ capitellum imponitur, quia «qui perseveraverit usque ad finem, et legitime certaverit, corona-

bitur», sicut ait Apostolus: «Nam qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.» Altitudo capitelli quinque cubitorum est: quia corona pro quoque sensum voluptatibus animose contemptis atque superatis redditur. Fascia cingens capitellum beatitudo est, quam Theologi accidentalem vocant: septies illud cingit, quia plurimis ex rebus hæc beatitudo oritur, et multe sunt causæ gaudendi, septem enim pro multis ponitur.

Insuper quilibet sancti in fide eminentes virtute columnæ sunt, æneque propter firmitatem in bonis operibus, erecte per intentionem, albe per contemplationem, striate seu excavate per mortificationem, qua pravæ appetitiones coarcent et sese per carnis macerationem extenuant, quæ excavatio potest etiam ad humilitatem referri. Secundo, duo capitella duo sunt testamenta, quorum meditationi et observationi Doctores sancti et animo subdantur et corpore. Tertio, species catenarum et similitudo retis in capitellis, variatas est virtutum spiritualium in sanctis. Quarto, malogranata ducenta magnæ et multiplicem eorum charitatem, unionem, concordiam, zelum significant. Quinto, capitella in florem lili desinabant. Quid enim per liliu nisi eterna felicitas, et immortalitatis floribus redolens amenitas designatur, in quam Sancti omnes tandem desunt, eandemque cum aliis prædicant, quasi in summo ostentant et promerendam proponunt. Ita Angelomus et Beda: «Quid, inquit, per lilia nisi superne claritatis patrie atque immortalitatis floribus redolens paradisi designatur amenitas.» Plura minutiora vide apud Riberam, lib. II *De Templo*, cap. xv.

22. ET SUPER CAPITA COLUMNARUM OPUS IN MODUM VERS. 21.
LILII POSUIT, — *q. d.* Toti operi columnarum et capitellorum quasi coronidum imposuit liliu, sive formam liliæ ex eodem ære fabricati, tum ut decorem templi ostenderet, tum ut ejus florem a Deo postularet, ut scilicet in eo floreret pietas et Dei cultus purus et castus. Liliu enim puritatis et virginitatis est symbolum, æque ac gloriose resurrectionis Christi et Sanctorum, juxta illud quod Martyribus accinit Ecclesia in Officio Ecclesiastico: «Sanctorum velut aquile juvenis renovabitur, et florescent sicut liliu in civitate Domini;» et tempore Paschali: «Sancti tui, Domine, florescent sicut liliu, et sicut odor balsami erunt ante te, Alleluia.» Et illud Sponsi: «Ego flos campi et liliu convallium,» *Cantic.* ii, 1. Vide ibi dicta; et *Eccli.* xxxix, 19, et *Osce* xiv, 6, ubi multa de symbolis liliorum dixi. Salomon ergo liliu imponens templo presentavit Christi, B. Virginis, et Sanctorum puritatem, splendorem, felicitatem et gloriam æternam: templum enim fuit figura cæli, ac celestis conversationis, resurrectionis et glorie.

Tropologice, quilibet fidelis et sanctus indiget Templo. columna duplici, ut fiat templum Dei, scilicet Ja-

chîn, id est prudenti rectaque directione ad deprehendum id quod agendum est; et Booz, id est fortitudinæ ad illud exequendum. Prudentia enim præsit quasi lux, viam virtutis et sanctitatis ostendens, unde dexteram occupat: fortitudo vero sequitur quasi sinistra, ut id quod prudentia faciendum ostendit, fortiter in opus conferat. Utraque est opus Salomonis, id est Christi: quare ab eo supplicibus et assiduis precibus cultibet est flagitanda. Neutra enim sola sufficit, sed si utraque jungatur, omnia perficit, omnia superat, hominemque ad culmen sanctitatis et in cælum evehit: Spiritus Sanctus enim nos dirigere debet in viam salutis, ac deinde roborare, ut eam per tot hostes, tentationes, difficultates constanter prosequamur. Unde Salomon. *Prov.* iii, 6: «In omnibus viis tuis, inquit, cœca illum, et ipse diriget gressus tuos.» Et parens ejus David crebro in Psalmis idipsum postulat, ut *Psalm.* cxviii, 5: «Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.» Et vers. 133: «Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.» *Psalm.* xxxvi, vers. 11: «Dirige me in semitam rectam.» *Psalm.* lxxxix, 17: «Opus manuum nostrarum dirige.» Ad Josue vero ait Deus, cap. i, vers. 6, 7 et 9: «Confortare et esto robustus» ad debellandos Chanaanos, «noli metum et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quecumque perrexeris.» Et ad David: «Brachium meum confortabit eum,» *Psalm.* lxxxviii, vers. 22.

23. FECIT QUOQUE MARE FUSILE DECEM CUBITORUM A LABIO USQUE AD LABIUM, ROTUNDUM IN CIRCUITU. — MARE. Mare vocat concham ingentem, quæ magnam vim aquarum capiebat, ad manus et pedes sacerdotum (hi enim nudis pedibus ministrabant in templo) aqua inde profluente abluendum. Unde vers. 26 et 31, vocatur «luter», id est, lavacrum a fine et usu, sed a capacitate hinc vocatur «mare», idque «fusile», id est fustum ex ære. Erat «rotundum»: unde diameter ejus erat decem cubitorum a labio usque ad labium, id est ab uno extremo peripherie usque ad aliud ei oppositum: altitudo ejus erat quinque cubitorum.

Rorsum insistebat duodecim boves ex ære fabricati, qui vultibus suis respiciebant quatuor mundi plagas. Adde hinc mari sive conche insculptæ erant effigies Cherubim, leonum, hominum et palmiarum. Denique mare hoc erat in atrio sacerdotum juxta altare holocaustorum, ac respondebat labio æneo, quod Moyses fecit ex speculis matherum in tabernaculo, *Exodi* xxx, 18, ubi ostendi labrum hoc æque ac mare non tam representasse baptismum, ut voluit Eucherius et Angelomus (erat enim labrum hoc æque ac mare non ante atrium, sed in ipso atrio), quam penitentiam, quæ fidelibus premissa est sacrificio et sacramento Eucharistie, uti docet S. Gregorius, hom. 47 in *Evangelio*, ac Beda, lib. III *De Tabernaculo*, ubi vide Riberam singula applicantem, lib. II

De Templo, cap. xvii. Concha hæc vasta et plena aquis, ideoque vocata «mare», significat amarum et magnam debere esse contritionem et penitentiam peccatoris, quæ lumina lacrymarum si non ex oculis, certe ex corde profundat, juxta illud: «Magna est velut mare contritio tua,» *Thren.* ii, 13.

ET NUSTICIA (Hebraice נִשְׁטִיכָא, id est, hinc; Chaldaice, *flum*, quod Noster vocat restitutam, id est, parvam restem sive funiculum mensuriam) TRIGINTA CUBITORUM CINGEBAT ILLUD PER CIRCUITUM, — *q. d.* Mare hoc, sive concha æneæ funiculo triginta cubitorum circumferentia cingebat mensurari poterat, hoc est, in ambitu vel circuitu continet triginta cubitos. Circuitus enim sive circumferentia circuitus est triplex ad diametrum: quare cum diameter hujus conchæ fuerit decem cubitorum, ut dixi, sequitur ejus peripheriam sive circuitum fuisse triginta cubitorum.

Notat Abulensis circuitum præcise fuisse triginta cubitorum et unius cum dimidio, quia circuitus continet diametrum ter, et insuper septimam diametri partem: sed Scriptura more suo minorem numerum omittit et supprimit. Hinc Josephus ait hæc concham fuisse semi orbis vel positius, ut Græce est, hemispherii forma et specie.

24. ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUITAT ILLUD VERS. 24. DECEN CUBITIS ANTIUS MARE, — *q. d.* In summitate continuo post labium maris vel conchæ erat sculptura quedam cingens mare, non totum, sed quasi tertiam ejus partem, quæ erat decem cubitorum: hæc autem sculptura erant duo ordines sculpturarum striatarum, de quibus proxime sequitur. Ita Ribera. Alter Cajetanus et Abulensis, qui per «subter labium» intelligunt imam partem conchæ, quæ erat decem cubitorum, ita ut sculptura hæc totam illam ambiere.

Duo ordines sculpturarum striatarum ERANT FUSILES, — *q. d.* Sculptura jam dicta erant duo ordines sculpturarum striatarum ex ære fusio. «Striatarum», ut ita legendum cum Helæo et Romano, non *histratarum*, ut legunt codices Regii, nec *histratarum*, quasi ibi depictæ essent historia, ut legunt volunt quædam alii. «Striatarum» ergo, hoc est hinc strias: striæ autem sunt cancelli aut sulci, qui per ligam aut esse deuntur ad elegantiam, ita ut una pars emineat, altera subsiciat, quales videntur Romæ in columnis basilicæ S. Petri ex ære fusis. Ita Ribera et alii, quin et Vitruvius, lib. VI, cap. ultim.; unde Apuleius *Striatam frontem* vocat contractam eperatamque, et quasi sulcos facientem prætristia.

25. ET STABAT SUPER DUODECIM BOVES — qui VERS. 25. anteriori sui parte, id est, facibus suis terni respiciebant quaternas mundi plagas, sed posteriori sui parte latitabant, id est, abscondebantur sub concha quam sustinebant. Allegorice, 12 boves sunt duodecim Apostoli, qui jussu Christi fidem et penitentiam per omnes mundi plagas prædicarunt.

26. GROSSITUDO AUTEM LUTERIS, TRIUM UNCIARUM ERAT. — «Luteris, id est, lavaeri; Graece enim *λουω*, est lavo; inde *λουωρις* est lavacrum. » Luteris ergo, id est, maris enei jam dicti, ut patet ex Hebraeo, Chaldaeo et Septuaginta. Frustra ergo Adrichomius luterem a mari eneo distinguit, ac luterem ponit ad Septentrionem, mare vero aneum ad Meridiem in atrio sacerdotum; ita ut inter utrumque medium fuerit altare holocaustorum, in luteo enim ablutus fuisse victimas, in mari eneo vero ipsos sacerdotes. Verum ad utrumque sufficiebat mare aneum eum decem luteribus, de quibus vers. 27. Sensus igitur est, *g. d.* Maris enei crassities erat trium unciarum, id est, quatuor digitorum, sive palmi, ut vertunt Septuaginta, hoc est trium pollicum; nam est quarta pars pedis, sive palmaris crassitudo: non uncia est duodecima pars pedis, pes autem sedecim digitos continet: tres ergo unciae sunt quarta pars pedis, puta quatuor digiti. Hoc est, quod dicitur II Paral. iv, 3, «vastitas, » id est crassities ejus habebat mensuram palmi. »

LABIUMQUE EIUS QUASI LABIUM CALICIS, ET FOLIUM REPANDI LILII. — *g. d.* Labium sive labrum maris enei erat quasi labium calicis, et quasi repandum, id est apertum recurvumque liliam. «Repandum» enim idem est quod recurvum et sinusum, quodque retrorsum patet. Sic cervix repanda est incurva: pectus vel dorsum repandum est incurvum. Unde Pinius, lib. XIV, cap. xxii: «Ad haec perfinet, inquit, pectorosa cervicis repanda ostentata. »

Myslice, Eucherius et Angelomus: «Per labium calicis, inquit, gustus Domine passionis, per folium repandi lili patefacta claritas resurrectionis ipsius exprimitur. » Utraque enim in lavacro baptismi et penitentie abluimur. Nam, ut ait Eucherius: Christus, «qui ante passionem quidem suam quasi clausum adhuc liliam fuit: cum signis miraculorum que fecit clarus homo refudit, post resurrectionem vero et ascensionem suam repandum se liliam supernae patrie civibus exhibuit, quod in assumpta humanitate potentiam divinam claritatis, quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset, ostendit. Unde in amoris Cantico lili se vocabulo designare voluit dicens: Ego flos campi et lilium convallium. Labium ergo maris in quo sacerdotes lavabantur, quasi labium fuit calicis, et folium repandi lili: quia lavacrum salutare quo membra summi sacerdotis effluuntur, in fide nos sacrosanctae passionis ejus a peccatorum omnium laeae purificat, ac purificatos ad visionem gloriae ipsius perennis intronitit. »

DUO MILLIA BATOS CAPERAT. — Batos, ephi et metreta aequalia sunt, sive quae decima pars cori, *Ezechiel*, xiv, 41, scilicet erat mensura continens tres modios: corus enim continebat decies amplius, nimirum 30 modios. Batos erat mensura liquidior, sicut ephi aridorum, continens tantum quantum amphora Romana, scilicet 48 sextarios, hoc est aquae uncias 960, uti multis probat

Alcazar, tract. *De Mensuris*, propos. 14; hoc Vilalpandus longe majorem faciat batum. Dices II Paral. iv, 3, dicitur mare aneum continuisse *tria milia metretas*, id est batos. Respondeo cum Vilalpando, Alcazar et aliis, batum fuisse duplicem, majorem et minorem, major erat sesquialter alterius, ut duo majores aequarent tres minores. Jam Vilalpandus censet batum majorem continuisse 108 sextarios, minorem 72; Alcazar vero, tract. *De Mensuris*, propos. 14, censet hos batos non fuisse communes, sed extraordinarios et minores, adeoque batum hunc fuisse tantum decimam partem huius. Rursum hos batos fuisse duplices, nimirum majorem et minorem, ita scilicet ut major esset sesquialter minoris. Decima autem pars huius est gomer, sive assaron, qui continet 96 uncias, hoc est octo libras duodecim unciarum. Quare putat Alcazar mare aneum continuisse Romanas amphoras 208, cum Vilalpandus ei tribuat amphoras Romanas 4300. Verum uti haec mensura Vilalpandi est nimis magna et immanis, ita illa Alcazari est nimis exigua, et exilior, quam ut mare vocari possit. Quare ab ordinaria et vulgari mensura huius recedendum non esse censeo, diceoque batum hunc accipi communem, qui aequalis erat amphora Romana, continens 48 sextarios et uncias 960, quae faciunt libras 80. Quare mare hoc continens duo millia batorum continebat his mille amphoras Romanas, hoc est sextariorum nonaginta sex millia, librarum aquae vero centum et sexaginta millia. Hi sunt bati majores bis mille, qui aequivalent batis minoribus ter mille: habent se enim sicut duo ad tria: quare batus minor continebat dimidiat 640 uncias, quae faciunt 32 libras et 4 uncias, ut patet proportionem utriusque supplicanti et inter se conferenti.

Aliter respondent Cajetanus et Ribera, scilicet mare aneum cepisse duo millia batorum dimidiat, si communi modo moderate tantum impiebatur; sin vero ad summum omnino impiebat, cepisse tria millia batorum: et hoc significare Hebraice מַחֲזִיק *machaziq*, II Paral. iv, 3, *machaziq* enim idem est quod fortificante, id est fortiter plangere implenti capiebat tria millia batorum. Peripheria enim superior, quae erat amplissima, exiguo suo limbo paucorum digitorum facie capiebat mille batos. Liber enim *Paralipomenon* est supplementum libri *Regum*, supplet enim *תְּשַׁבְּרַתְּוֹ*, id est que in eis relicta et omissa sunt. Unde saepe majorem recenset numerum. Ita Valabius (1).

27. ET FECIT DECEM BASES AENEAS. — Pro decem vers. 17. Luteribus, qui his basibus sustinebantur. Id patet ex vers. 38, et II Paral. iv, 6, ubi dicitur: «Fecit quoque conchas decem, et posuit quinque a dex-

(1) Quia et absolute dicitur potest hic addi quod praetermissum videbatur in libro *Regum*: ea enim est mensura auctoritatis huius libri, haec alii dicunt hoc mare fuisse tria millia metretas cepisse, quia boves ex parte concavi erant, et aquam maris continuisse, quae, juxta Rabbinos, per ora boum effluere poterat.

teris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia que in holocaustum obtuluri erant: porro in mari sacerdotibus lavabantur. » Luteris ergo erant magnae conchae, sive labra et pelves, in quibus sacerdotes abluabant victimas jam excoaratas, et carnes earum dissectas, ut lotae imponerentur altari holocaustorum ad eum Deo offerendum et cremandum: in mari eneo vero soli sacerdotes lavabant suas manus et pedes: licet enim Nathinei victimas immolandas prius abluissent in probatica piscina, antequam inducerentur in templum, tamen illi animalia integra et viva abluabant: quare in templo, id est in atrio rursum a sacerdotibus eadem jam maclata et dissecta a sanguine et sordibus ablucenda erant, ut puri offerrentur Deo in altari. Quocirca mare aneum erat in medio luterum, ac quinque luteris habebat a dextris, quinque a sinistris. Ita Ribera. Quisque autem luter capiebat quadraginta batos, ut dicitur vers. 38. Idem habet Josephus in versione Ruffini: male enim Gelenius pro batis substituit congios.

QUATUOR CUBITORUM LONGITUDINIS BASES SINGULAS, ET QUATOR CUBITOREM LATITUDINIS, ET TRIEM CUBITOREM ALTITUDINIS. — Erant ergo bases luterum quadratae, quia late quatuor cubitos, totidem longae: quare ex quaternis tabulis aeneis inter se junctis conflatae et compactae fuerunt, ideoque juncturae hae, ut non apparent, tecte fuerunt sculpturis variis, ut sequitur.

28. ET IPSUM OPUS BASIS, INTERRASILE ERAT: ET SCULPTURAE INTER JUNCTURAS.

29. ET INTER CORONULAS ET PLECTAS, LEONES, ET BOVES ET CHERUBIM: ET IN JUNCTURIS SIMILITER DESUPER: ET SUBTER LEONES ET BOVES, QUAE LORA EX AERE DEPENDENTIA. — Locus hic implexus est et difficilis. Omissis variis variorum explicat omnibus, ut breviter et clare rem totam expediam. Nota primo, «opus interrassile» vocari, quod inter tabulas lignosas, aureas vel aeneas planas et quasi raras protuberat, exstat et eminent, ut in conchis exstant et eminent capita leonum, hominum et boum, etc. Unde Hebraice est כְּסֵרֹוֹת *mesjerot*, id est clausurae, vel, ut Valabius, *tracturae*. Clausuras Hebraei vocant sculpturas exstantes, et eminentes, quia haec quasi claudunt et terminant tabulam planam et rasam, puta spatia intermedia tabulae planae. Unde Noster opus hoc interrassile, id est sculpturas has vocat «coronulas et plectas, » tum quia coronulis et floribus aliisque rebus contextis et implexis circumdantur, tum quia ipse sculpturae sive effigies sculptae vocantur coronae et coronamenta, id est ornamenta, quia tabulam vel rem cui adhaerent coronant et ornant. Quocirca pro his omnibus est Hebraice una vox *mesjerot*, quam Noster vertit nunc «opus interrassile, » nunc «sculpturas, » nunc «coronulas, » nunc «plectas. »

Quaedam enim erant in modum coronae rotundae, quaedam alia figura et forma implexae, quae «plectas» dicebantur. Haec ergo quatuor voces idem hic

significant. Possunt tamen per «plectas» accipi juncturae ipsae tabularum, uti est in Hebraeo, ut plecta derivetur a פֶּלֶטָא, id est plico, concinno, necto, jungo: nam inter juncturas tabularum erant haec sculpturae.

Nota secundo, pro juncturas Hebraice כְּרִיבִים *scelabim*, quod Pagninus vertit, *vestes*; Marinus, *gradus*; Vatablus, *provenientias*; sed credendum est Nostro ac Septuaginta, qui constanter vertunt, *juncturas*, ac Chaldaeus, qui vertit, *commisuras*. Unde *Ezodii* xxvi, 47. Noster et alii passim vertunt, *incastraturas*.

Hebraea ergo ad verbum sic habent: *Et hoc opus basis: clausurae eis, et clausurae inter juncturas et super* (id est juxta vel inter) *clausuras, quae erant inter juncturas, leones, boves et cherubim. Et super* (id est juxta vel inter) *juncturas sic desuper: et subter leonibus et bobus copulationes, opus descensionis. Clausuras, ut dixi, vocat sculpturas leonum, boum et cherubim, etc., quae tegebant juncturas tabularum aenearum, ne apparenter esse compactae, sed viderentur esse continuas, et ex eodem aere productae, sive ut non multe, sed una integra, et solida tabula esse videretur. Sensus ergo est, *g. d.* Salomon sculptis in basibus decem luterum varias sculpturas, ut illis tegeret juncturas tabularum aenearum, inter quas sculpturas eminebant sculpturae leonum, boum et Cherubinorum. Itaque fecit has sculpturas et effigies tam inter juncturas superiores et aliores, quae erant desuper, quam inter inferiores quae erant subter: addiditque sub leonibus et bobus copulationes, id est lora quaedam inter se copulata et connexa dependentia, id est deorsum tendentia; hoc est enim *opus descensionis*, quod habent Hebraei. Apposito sculptis hae lora, quia boves et leones loris alligari et copulari solent. Ita Ribera, lib. II *De Templo*, xviii.*

30. ET QUATUOR ROTAE PER BASES SINGULAS, — Vers. 30. *g. d.* Singulae bases impositae erant quatuor rotis, ut hae illae rotari et moveri viderentur.

ET PER QUATUOR PARTES QUAS IN CUBITIS SUBTER LUTERUM FISILES, CONTRA SE INTRA RESPECTANTES, — *g. d.* Erant in basibus luterum partes quaedam exstantes, quibus quasi humeris luterus sustentabatur, ex aere fusa, et aeniantes.

31. OS QUOQUE LUTERIS INTRINSECUS ERAT IN CAPITE SUMMITATE, — *g. d.* Os luteris, id est ipsa superior pars basis, cui luter, sive concha luteris imponebatur, erat concava instar oris, ut et luter pariter concavus apte inseri posset, erantque in capitis summitate, hoc est: erat in summitate basis. Sic enim Auctor se explicat vers. 38.

ET QUOD FORINSECUS APPAREBAT, UNUS CUBITER TOTUM ROTUNDUM, PARTITERQUE HABEBAT UNUM CUBITUM ET DIMIDIUM. — Id clare explicat Josephus, dicens lib. VIII, cap. ii: «Qua parte effigies leonum et aquarum, sive erant adaptatae, ut connatas putares, interventibus inter eas palmarum arbusculis. Atque haec rotunditas habebat altitudinis cubitum et dimidium, sed dimidius cubitus

Quis in
sensibile
quid?

Phica.

tegebatur celaturis, et tantum cubitus apparebat.

IN ANGULIS AUTEM COLUMNARUM VARIE CELATURÆ ERANT. — Nam, ut ait Josephus, tabule basium cum essent quadratæ in angulis habebant columnas, id est columellas quasdam ad elegantiam, quibus latera basium utrimque inerebantur et quasi inostrabantur; et hæc habebant suas sculpturas quibus ornabantur.

ET MEDIA INTERCOLUMNIA QUADRATA, NON ROTUNDA. — Intercolumnia vocat ipsos scopos, sive stipites basium, qui inter columnas in angulis annexi quasi medi intercedebant, q. d. Ipse scopus basium quadratus erat, non rotundus. Hebræus et Chaldeus: *Ipse clausura*, id est sculptura, erat quadrata, non rotunda. *Clausura*, sive sculpturas, vocat ipsas bases sculptis et effigiatas.

Vers. 33. 33. TALES AUTEM ERANT ROTÆ. — q. d. Tales erant rotæ basium, ut viderentur posse rotari et moveri, cum reipsa essent fixæ, nec rotari possent: et idcirco habebant omnia, quæ habent rotæ vere et rotabiles, scilicet suos axes, radios, canthos et modiolos. Modiolus in rota vocatur ipse nodus sive centrum rotæ, ex quo oriuntur radii, qui inde perducuntur ad canthum, id est ad peripheriam sive circumferentiam exteriorem rotæ.

Vers. 35. 35. VARIAS SCRIPTURAS EX SENE IPSA. — hi est non additias, sed quasi agnatas et simul cum ipsa, ut ex ipsa basi fuisse viderentur.

Vers. 36. 36. SCULPSIT QUOQUE IN TABULATIS ILLIS QUÆ ERANT EX ARE. — q. d. Sculpsit super summas tabulas basium effigies leonum, palmarum, etc. Tabulata enim ex are vocat ipsas tabulas aeneas inter se connexas et contabulatas.

Vers. 38. 38. FECIT QUOQUE DECEM LUTERES. — Ecce hi sunt luteres, quorum bases huc usque descripsit.

Vers. 39. 39. MARE (ÆNEUM) AUTEM POSUIT AD DEXTERAM PARTEM TEMPI CONTRA ORIENTEM AD MERIDIEM. — q. d. Ita posuit mare æneum ad Meridiem, ut tamen verteretur ad Orientem, q. d. Non plane obversum erat Meridiei, sed ei parti Meridiei, quæ nonnihil declinat et vergit ad Orientem.

Denique mari æneo et decem luteribus ad abluendum victimas, adde ex Aristæa, lib. De Septuag. Interpret., post initium, fuisse in templo oculia receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem jugularum hostiarum funduntur, quarum fluxus tam assiduus, inquit, est, ut pennis fons videatur. Et ad hoc sunt juxta aræ basim frequentes aperture solis ministris cognite. Sed mirabilis est, et fere inenarrabile subteraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quicquid usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistule quæcumque per muros et templi solum, quibus omnia abluantur, mündenturque, descendunt. De hisce superius quoque mentionem feci.

Allegorie et tropologicæ decem idem significant quod mare æneum, nimirum multiplicem et æbram continentiam, qui in hac vita fra-

gili ob multiplices lapsus et labendi pericula indigemus. Quadraginta bati, quos singuli luteres capiunt, significant dies 40 Quadragagesimæ, qui omnes penitentitæ sunt addicti. Cætera vide apud Eucherium, Angelolum et Riborum, lib. II De Templo, cap. XIX, qui minutim singula applicat.

Primus hoc sæculo penitentitæ sacramentum negavit et sustulit Martinus Lutherus, quare ipse non fuit luter, nec lotor, sed luteus et lutulentus, imo pollutor et profanator sacrorum, utpote suis poculis, ventri et Veneri totus indulgens, hisque corpus et animam conspurcans quasi suis lota in volutabro luti, ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. II, vers. 22.

40. FECIT ERGO HIRAM LEBETES, ET SCUTRAS ET HAMULAS. — Pro scutris Hebraice est *שערים*, quod Chaldeus et recentiores vertunt, *scopas*; Septuaginta, *calfactoriola*; alii vertunt, *fuscinas*, *phidias*, *tharibula*; S. Hieronymus nunc *scutras*, *foropes*, *tridentes*, nunc *trullas* et *creagras* vertit. Nomina enim Hebræa sunt polysema, et multa significant. *Scutra* genus est vasis profundæ et circularis, cuius diminutivum est *scutella*; quare aliud est *scutra*, aliud *scutella*, licet Calepinus hæc duo pro eodem habeat. *Scutra* enim sunt usque alitræ vestes, inventorum soles, clavi reflexi, sulphurata, vitrorum fragmenta cæteraque similia, quæ villis illi proximate ventilia habent, quæ *scutarios* appellant, quales Romæ videmus Judæos, de quibus ait Horatius, lib. II, *epist.* 7:

Villa vendentem tunicato scuta popello.

Scutra ergo vel *scuta* est scutella magna, ita a scuto dicta, quod instar scuti rotunda sit et concava. Hinc Lucilius, lib. VI, ait: «*Scutam* (scutellam) ligneam cerebro infixit.» Et Papias: «*Scutra*, ait, vas æneum æquale fundo, latum et apertum desuper.» Et Priscianus, in fine lib. III: «*A scuto*, ait, dicitur scutella et scutella, quasi parva scuta vel scutra.» *Scutra* enim litteram r mutatur «*a scetra*, quæ est scutum torum sine ligno, quo utuntur Afri et Mauritanii,» ait Isidorus, lib. XVIII *Etymol.*, cap. XII, de quo Poeta: «*Levant scetra tegit.*» Porro diminutiva r simplicis capiunt in l; sic a mitra diminutivum fit *mitella*, a capra capella, a sacrum sacellum, ab ager agellus, a piger pigellus, a miser misellus.

Hamula, Hebraice *חמולות* *miraskoth* sunt vasa sparsoria vel infusoria, quibus aqua, vel vinum, vel thus spargitur et funditur. Radix enim *חמולות* significat spargere, aspergere, quales sunt ampulle, quibus in Missa aqua et vinum in calicem spargitur et infunditur. Septuaginta vertunt, *phialas*; Chaldei, *pelvæ*; S. Hieronymus hæc, *hamulas*, alibi *phialas*, alibi *tharibula*. Audi Columellam:

Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

42. AD OPERIENDUM FUNICULOS CAPITELLORUM. — Vers. 42. «*Funiculos*» vocat spiras orbiculares, quæ ca-

pitello incisæ ipsam in orbem circumbant et ornabant. Unde Hebraice est *גוללות כתר* *gulloth ketoret*, id est *combolola coronæ*; Septuaginta, *certibilia*; Chaldeus, *vasa rotunda coronarum*; Vatablus, *globos coronatos*. «*Funiculos capitellorum*» ergo vocat media capitella, eo quod in modum funis spiras et gyros haberent; hæc enim Hebraice vocantur *gulloth ketoret*, quasi revolutiones coronæ, vel capita suis spiris in gyrum circumdata et coronata.

Vers. 45. 45. OMNIA VASA QUÆ FECIT HIRAM (nam alii artifices fabricarunt vasa ex auro et argento, etc.) DE AURICALCO ERANT. — Hebraice de auro *כסף* *memorat*, id est terso et polito, hoc est optimo, ut vertit Chaldeus et Septuaginta, quod *auricalcum* vocatur, quia rubet et fulget ut aurum. Vide dicta *Ezech.* I, 27, et *Apocal.* I, 45.

Porro, «*hiram*,» II *Paralip.* II, 13, a rege Tyri vocatur «*pater meus*,» quia scilicet rex eum ob præstantiam artis colobat ut patrem: «*pater*» enim Hebræis sæpe significat magistrum, duces, præsidem, præfectum. Sic Joseph a Pharaone vocabatur «*pater*,» ob præstantiam prudentiæ et providentiæ tempore famis, *Genes.* XLV, 8. Sic IV *Reg.* XIII, 14, rex Israel Eliseum vocat «*paterem*,» quia eum ut Prophetam et magistrum reverebatur. Porro Josephus his vasis multa alia adiecit, primo, mensurarum aurearum, super quibus instrumenta varia essent, numerum extendit ad 10000. Secundo, phialarum et spondiorum aureorum 20000, argentearum 40000, candelabrorum 10000; onochorum 80000; phialarum aurearum 40000, argentearum 200000; lancium aurearum 50000, argentearum 160000; craterum aureorum 60000, argentearum 120000; metrorum seu mensurarum Moysis, Hin, et assaron aurearum 20000, argentearum 40000; thuribulorum quibus thus adoleretur aureorum 20000, argentearum 40000. Quibus vero ad altare holocaustorum ignis auferretur, aureorum 30000, stolarum hierarchiarum pro sacerdotum principibus 10000; pro sacerdotibus aliis 10000; tubarum 20000, organorum musicorum, nablorum et cinyrarum ex electro 30000.

Vers. 45. 45. FECITQUE SALOMON OMNIA VASA AUREA IN DOMO DOMINI: ALTARE AUREUM, etc. — puta altare thymiamatis in Sancto, ante Sanctum sanctorum, de quo dixi *Ezod.* XXX, 1. Hinc patet Salomonem fe-

cisse novum altare thymiamatis in Sancto pro veteri a Moysæ fabricato, illudque vetus Moysis reposuisse in tabulato Sancti. Salomon enim omnia vasa templi nova fecit, excepta arca cum propitiatorio et cherubim; in arca enim servabatur lex in tabulis lapideis, digito Dei scripta. Arcam ergo a Moysæ factam reposuit in templo, nec novam fabricavit; cætera vero omnia innovavit.

Unde sequitur:
49. ET MENSAM SUPER QUAM PONERENTUR PANES PROPOSITIONIS (NOVAM fabricavit pro veteri a Moysæ facta), ET CANDELABRA AUREA, QUINQUE AD DEXTERAM ET QUINQUE AD SINISTRAM. — Moyses unum dum taxat fecit candelabrum ex auro septiceps, sive habens septem calamos et totidem lucernas; sed Salomon pro uno hoc fabricavit quinque. De mensa hæc panum et de candelabro fuisse dixi *Ezod.* cap. XXV, vers. 23 et 31. Quare hic ea non repetam.

FORCIPES. — hoc est emunctoria, ait Abulensis et Vatablus. *Forcipes* enim est instrumentum, quo fornum, id est calidum tenetur, ait Festus, quod non solum forcipibus, quibus ignem struimus, sed et emunctoris, quibus favillas lucernarum et candelarum capimus et carpinus, convenit.

30. MORTARIOLA — sunt vasa proprie, in quibus pilo teruntur quæ solvenda sunt, ait Nonius Marcellus. Unde S. Isidorus, lib. IV *Etymol.* XI: «*Mortaria*, inquit, dicuntur quod ibi jam semina in pulverem redacta et mortua conduntur.» Verum hoc loco Hebraicum est *כפף* *caphoph*, quæ vox significat vascula curva (*כפף* *caphoph* enim significat curvare) et concava, in quibus thus vel incensum vel quippiam tale reponitur, ita Vatablus et alii; unde Septuaginta vertunt, *phialas*; Chaldeus et Vatablus, *cochlearia*. «*Mortariola*» ergo sunt parva mortaria, itaque vocantur vasa instar mortariorum curva et concava.

31. QUÆ SANCTIFICAVERAT DAVID. — id est quæ David dicaverat, destinaverat et quasi consecraverat Deo in usum templi. Septuaginta: *Inhibili Salomon sancta* (Hebraice et Chaldeice, *sanctitates*) *David patris sui*. Quæ enim Deo dicantur, adeo sunt sancta, ut sint quasi ipsæ sanctitates.

Nota: In templo nil videri poterat præter marmor, cedrum, aurum, argentum; ut discas in anima sancta et religiosa deatque Deo, nil nisi purum, solidum et pretiosum reperiri debere.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dedicatio templi, in qua supplicat Salomon Deo, ut orantes in illo, vel versus illud exaudiat.

1. Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarium filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam federis

Domini, de civitate David, id est, de Sion. 2. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solempni die, ipse est mensis septimus. 3. Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotum, 4. et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum federis, et omnia vasa sanctuarii, quae erant in tabernaculo; et ferebant ea sacerdotes et levitae. 5. Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quae convenerat ad eum, gratiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque aestimatione et numero. 6. Et intulerunt sacerdotes arcam federis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctam sanctorum subter alas Cherubim. 7. Siquidem Cherubim expandebant alas super locum arcae, et protegabant arcam et vectes ejus desuper. 8. Cumque eminenter vectes et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui et fuerunt ibi usque in presentem diem. 9. In arca autem non erat aliud, nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus foedus cum filiis Israel, cum egredierentur de terra Aegypti. 10. Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, 11. et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam; impleverat enim gloria Domini domum Domini. 12. Tunc ait Salomon: Dominus dixit ut habitaret in nebula. 13. Aedificans aedificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solum tuum in sempiternum. 14. Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni Ecclesiae Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat. 15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, dicens: 16. A die qua eduxi populum meum Israel de Aegypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut aedificaretur domus, et esset nomen meum ibi; sed elegi David ut esset super populum meum Israel. 17. Voluitque David pater meus aedificare domum nomini Domini Dei Israel; 18. et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. 19. Verumtamen tu non aedificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse aedificabit domum nomini meo. 20. Confirmavit Dominus sermonem suum quem locutus est; stetitque pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus; et aedificavi domum nomini Domini Dei Israel. 21. Et constitui ibi locum arcae, in qua foedus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Aegypti. 22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiae Israel, et expandit manus suas in caelum, 23. et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in caelo desuper, et super terram deorsum: qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulabant coram te in toto corde suo. 24. Qui custodisti servo tuo David patri meo quae locutus es ei: ore locutus es, et manibus perfecisti, ut haec dies probat. 25. Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quae locutus es ei, dicens: Non auferetur de te vir eorum me, qui sedeat super thronum Israel; ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. 26. Et nunc, Domine Deus Israel, firmentur verba tua quae locutus es servo tuo David patri meo. 27. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim caelum, et caeli colorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi? 28. Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus; audi hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, 29. ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die, super domum de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem quam orat in loco isto ad te servus tuus; 30. ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudies in loco habitaculi tui in caelo, et cum exaudieris, propitius eris. 31. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum quo teneatur astrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, 32. tu exaudies in caelo; et facies, et judicabis servos

tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. 33. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes penitentiam et confidentes nomini tuo, venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac, 34. exaudi in caelo et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram quam dedisti patribus eorum. 35. Si clausum fuerit caelum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, penitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, 36. exaudi eos in caelo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, et ostende eis viam bonam per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam quam dedisti populo tuo in possessionem. 37. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut aerugo, aut locusta, vel rubigo, et afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, 38. cuncta devoratio, et imprecatio, quae acciderit omni homini de populo tuo Israel, si qui cognoverit plagam cordis sui, et expandit manus suas in domo hac, 39. tu exaudies in caelo in loco habitationis tuae, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum). 40. ut timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terrae quam dedisti patribus nostris. 41. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum 42. extentum, ubique), cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, 43. tu exaudies in caelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam aedificavi. 44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam aedificavi nomini tuo, 45. et exaudies in caelo orationes eorum, et preces eorum, et facies iudicium eorum. 46. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, 47. et egerint penitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus; 48. et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint; et oraverit te contra viam terrae suae, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod aedificavi nomini tuo: 49. exaudies in caelo, in firmamento solii tui, orationes eorum, et preces eorum, et facies iudicium eorum: 50. et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum, quibus pravariicati sunt in te; et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. 51. Populus enim tuus est, et haereditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreae, 52. ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui et populi tui Israel, et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. 53. Tu enim separasti eos tibi in haereditatem de universis populis terrae, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Aegypto, Domine Deus. 54. Factum est autem, cum complexset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini; utrumque enim genu in terram fixerat et manus expanderat in caelum. 55. Stetit ergo, et benedixit omni Ecclesiae Israel voce magna, dicens: 56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quae locutus est: Non cecidit manus quidem sermo ex omnibus bonis quae locutus est per Moysen servum suum. 57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens. 58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et caeremonias ejus, et iudicia quaecumque mandavisti

patribus nostris. 59 Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat iudicium servo suo, et populo suo Israel per singulos dies; 60. ut sciant omnes populi terrae, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo. 61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus, sicut et hodie. 62. Igitur rex, et omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino. 63. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia; et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel. 64. In die illa sanctificavit rex medium atri quod erat ante domum Domini; fecit quippe holocaustum ibi, et sacrificium, et adipem pacificorum, quoniam altare aereum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum. 65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad Rivum Aegypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus et septem diebus, id est, quatuordecim diebus. 66. Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua letantes, et alacri corde super omnibus bonis quae fecerat Dominus David servo suo, et Israel populo suo.

2. IN MENSE ETHANIM, IN SOLENNI DIE, IPSE EST MENSIS SEPTIMUS. — Male nonnulli legunt, *Bethaniam*. Legendum enim cum Hebraeo. Septuaginta et Romanis « Ethanim, » id est *fortium*, quia hoc mense septimo factus sunt fortes, id est maturi, ac cum frugibus collecti reponuntur in horrea, quibus cor hominis et vita confirmatur et roboratur, ait Vatablus, vel propter crebra festa quae mense septimo celebrantur, quibus a fortibus et piis deus colebatur: festa enim quasi roborant homines in pietate et Dei cultu. Ita Cajetanus; vel quia eo mense manifestatur fortitudo et sanctitas hominum, quae maxime tentatur ingratitudinibus autumnii, cum folia defluunt, et hominum vires sole recedente deficiunt. Mensis ergo septimus, sive *Tisri*, vocatur « Ethanim, » hinc de causis, ac partim respondet nostro septembris, partim octobri, eratque olim primus mensis anni vulgaris, antequam Deus primum mensem anni sacri constitueret *Nisan*, sive martium vel aprilis, ob celebritatem Pasche, *Exodi* xii, 2; unde Chaldaeus hoc loco verbit, *congregatus est Israel in mense quem veteres vocabant mensem primam, et nunc ipse est mensis septimus*.

Deus: Templum perfectum est mense octavo, ut dicitur est cap. vi, vers. ult., quo modo ergo dicitur hic dedicatum mense septimo? Respondet Abulensis, Sallianus et alii, templum cum fuit dedicatum, fuisse quidem perfectum quoad partes principales, non tamen habuisse omnimodam suam perfectionem, sed hanc post dedicationem illi additam, ita ut mense octavo omnino fuerit perfectum. Voluisse enim Salomonem anticipare omnimodam perfectionem ob solemnitatem festi Tabernaculorum in mense septimo, ut in illa coram toto populo templum suum dedicaret.

Aliter respondet Serarius, scilicet dilatam fuisse dedicationem in annum sequentem, mensemque

ejus septimum, ut interim parietes melius siccarentur, et cetera omnia ad dedicationem necessaria plenius compararentur. Quare dedicatum esse templum anno 12 regni Salomonis mense septimo.

IN SOLENNI DIE, — Id est, in festo Tabernaculorum, ait Abulensis. Verum id dici nequit: nam hoc festum incipiebat die 15 mensis septimi; hic autem celebrata est dedicatio templi per 14 dies, ut patet vers. 65, qua perfecta dimissus est populus die 23 ejusdem mensis, ut patet II *Paratip.* vii, 40, jam a die 15 mensis usque ad diem 23 non intercedunt 14 dies, sed octo duntaxat. Ergo dies sollemnis hic intelligitur festum hoc dedicationis, quod ob hanc dedicationem magnificentissimam fuit sollemnissimum. Ita Vatablus, Tornielus, Serarius, Sallianus, qui censent festum hoc dedicationis incidisse in diem octavum mensis septimi, sive « Ethanim: » inde enim usque ad diem 23, quo perfecta fuit dedicatio, intercedunt 14 dies, de quibus vers. 65. Igitur in 14 hinc diebus includitur festum Tabernaculorum, quod erat sollemnissimum, et incipiebat die 15 mensis septimi, durabatque per septem dies: unde eodem tenebantur omnes masculi ex toto Israele adire templum juxta legem *Deuteronomio* xvi, 16; quare hanc temporis festique occasionem studio captivi Salomon, ut sollemnis esset dedicatio majorique populi frequentia celebraretur.

Allegorie, dedicatio templi significat dedicationem Ecclesiae, et ejusmodi templi Christiani, de qua vide nostrum Martinum de Roa, lib. *De Natali die*, cap. xxi.

Tropologicæ, significat dedicationem anime sanctae, praesertim B. Virginis, de qua videt *Fetrum* Damianum, serm. II *De Nativitate B. Virginis*, ubi illam cum templo Salomonis comparat. Quomodo anima fiat domus et templum Dei, docet

Philo, lib. *de Cherubim*; S. Macarius, *homil.* 4 et 10; S. Bernardus, serm. *De Dedicat.*

4. ET PORTAVERUNT ARCAM DOMINI SACERDOTES. — sicut eandem majorem tempore Davidis in Sion, II *Reg.* vi, sed tulerat fuit pompa Salomonis, quam Davidis.

ET TABERNACULUM FEDERIS, — scilicet fabricatum a Moese, hoc enim proprie dicitur a federis. » Ita Josephus, Ribera, Abulensis, Serarius, Vilalpandus, Sanchez et alii, licet Sallianus et Emmanuel Sa inelligant tabernaculum quod David fabricarat arca federis in Sion. Nam tabernaculum Moysis non erat in Sion, sed in Gabaon. Verum non est dubium illud ex Gabaon fuisse a Salomone translatum in Sion, indeque in templum. Adde utrumque tabernaculum tam Moysis quam Davidis, a Salomone fuisse translatum in templum, perinde ac cetera omnia vasa sacra a Moese fabricata, praesertim altaria in templum translata sunt, id est in tabulatum templi, idque prudenti consilio, ne scilicet alibi quam in templo, Dei cultus celebraretur, itaque caveatur periculum superstitionis et idololatriæ, ait Cajetanus.

6. ET INTULERUNT ARCAM IN ORACULUM TEMPLI, (hoc est) IN SANCTUM SANCTORUM SUBTER ALAS CHERUBIM, — quae scilicet Salomon novos fabricarat, altosque decem cubitos, ut arcam, quae alta erat cubitum unum cum dimidio duntaxat, velarent allisque suis tegerent.

9. IN ARCA AUTEM NON ERAT ALIUD NISI DUE TABULAE LAPIDEE. — Hac de re affatum dixi *Hebr.* ix, vers. 4 et 5.

10. NEBULA IMPLEVIT DOMUM DOMINI. — Nebula enim Deus se suamque gloriam representabat et simul velabat. Caligo enim Deltatis est velamentum, aequae ac sacramentum. Significat enim eam hominibus esse invisibilem et inaccessam.

11. ET NON POTERANT SACERDOTES STARE ET MINISTRARE PROPTER NEBULAM, — tum ob reverentiam divinae majestatis se ostendentis per nebulam; tum quia nebula haec sensibilior offendeat oculos sacerdotum, eorumque aciem obtundebat et hebetabat. Ita Cajetanus.

IMPLEVERAT ENIM GLORIA DOMINI DOMUM DOMINI. — Nebulam vocat « gloriam Domini, » quia ipsa erat index et symbolum gloriae Domini, ut dixi: nebulae erat lucida et splendida. Ita Cajetanus. Nebula haec, inquit, et nebula, et caligo, et gloria Domini appellatur. Ex quibus nominibus colligitur, quod erat nebula per modum caliginis lucida, et ratione lucis appellatur gloria, seu potius honor Domini; ratione vero formae appellatur caligo; ratione autem materiae, nebula: erant enim velut vapores nebulosae caliginis cum splendore, et propterea sensibiliter offendeant oculos sacerdotum ministrantium in altari.

12. DOMINUS DIXIT, UT HABITARET IN NEBULA. — Dixit hoc *Lev.* xvi, 13, ubi jubet Deus pontifici ut non nisi thurificando ingrediatur Sanctum sanctum, itaque ad hoc, ut vapor et nebula thymia-

mati operiat propitiatorum, ac Deum in eo residentem; ne si pontifex eum videat, fulgore et terrore divinitatis exanimetur et moriatur. Idem dicit *Psal.* ciii, 3: « Qui ponis nubem ascensum tuum. » Et *Psal.* xvii, 40, « caligo sub pedibus tuis. » Et vers. 12: « Posuit tenebras tabulatum suum. » Hinc Deus Moysi et Hebraeis loquebatur per caliginem, *Exodi* xxiv, 16; *Deut.* iv et v.

13. FIRMISSIMUM SOLIUM TUM. — Hebr., *directum ad solium tuum*. Officium templi, ait Cajetanus, manifestatur esse, non praestare Deo habitacionem, sed praebere hominibus directionem mentis eorum, ad solum divinum sempiternum, quod in caelis est: ad dirigendos siquidem homines in Deum, qui creavit caelos et terram, regitque universum, effectum est templum.

22. STETIT AUTEM SALOMON ANTE ALTARE (holocaustorum). Stetit ergo inter altare et populum a tribus lateribus circumfusum. Additur II *Paratip.* vi, 13, cum stellesse in suggesto aereo, ibidem pro persona regis collocato, ut videretur ab universo populo IN CONSPPECTU (Hebraice, e regione totius) ECCLESIAE ISRAEL, — faciem siquidem versus altare et sanctuarium ad Occidentem habens (in qua etiam plaga erant sacerdotes ac Levitae); populus autem per tres alias plagas Orientis, Meridiei et Septentrionis erat. Sic enim incipit oratio quod faciendum ab aliis in hac subjuncta oratione docuit, videlicet quod versa facie ad templum preces Deo funderentur.

Porro Salomon orationem hanc fudit quasi rex Israelis, ideoque diadema gerebat in capite. Unde Chaldaeus, *Cantic.* cap. iii, vers. 11, cum per forniculum Salomonis intellexisset ejus templum, pro eo quod Noster, « Septuaginta et Hebraei habent: *Egredivini et videte filium Sion, regem Salomonem in diademate, etc.*, sic verit: *Quando venit Salomon rex, ut faceret dedicationem domus sanctuarium, praecessit egressus est in fortitudinem, et sic ait: Egredivini et videte habitatores circumvicinarum terrarum Israel et populus Sion diadema et coronam, qui coronaverunt domus Israel regem Salomonem in die dedicationis sanctuarium; et testatus est in laetitia sollemnitatis tabernaculorum, quam fecit rex Salomon in tempore illo 14 diebus. Et cap. iv, vers. 1, addit: Et in illo die obtulit rex Salomon mille holocausta, et suscepta est cum beneplacito oblatio ejus coram Domino; irruit vox de caelis et ait: Quam pulcher est catus Israel, et quam pulchri sunt principes congregationis et sapientes habitantes in concilio: quia ipse semper illuminant populum domus Israel, etc. Videant hic reges et principes miram pietatem Salomonis, qui ipse rex quasi sacerdos et pontifex templum a se fabricatum Deo dicat et consecrat; ac supplicat, ut Deus orantium in eo preces exaudiat, totique populo benedicat, ideoque a Deo exauditur, ac miraculosa caligine et igne de caelo victimas delapso decoratur. Invenitur eum praecipue, et similiter a Deo benedicatur.*

ET EXPANDIT MANUS SUAS IN CORLEM, — flexitque

genus, ut dicitur II Paralip. vi, vers. 13, ut hoc gestu testaretur reverentiam et devotionem suam erga Deum Deique templum; ac populum ad eandem exemplum suo excitaret. Salomonem imitati sunt primi Christiani, qui flexis genibus et elevatis in cœlum manibus orabant, cujus cœremonie varias causas ex Patribus recensuit I Timoth. ii, 8, ad illa: « Levantes puras manus. »

SI ENIM CŒLUM ET CŒLI CŒLORUM (id est summi, vastissimi et capacissimi cœli) TE CAPERE NON POSSUNT, QUANTO MAGIS DOMUS HEC QUAM EDIFICAVI, — non capiet te. Deus enim est immensus, ideoque est ubique, et omnia implet, ac ultra omnia per immensa vacui spatia extenditur, ideoque mille a miliones infinitos novorum mundorum in iis creare potest. Idem dixere philosophi, unde Arnobius:

Jupiter est quodcumque vides: Jovis omnia plena.

Et Æschylus apud Clementem Alexandrinum lib. V Stromatum:

Jupiter est æther, est terra, Cœlumque et omnia Jupiter, et si quid supra.

Et Orphens ibidem:

Œcœni ad fines expansa est, et manus illi Undique dextera, sub pedibus subjectaque terra est.

29. ERIT NOMEN MEUM IBI, — *g. d.* in domo mea ero præsens: ibi colar, illic respondebo, illic preces exaudiam, operabor mirabilia, et gloriam meam ostendam. Hinc rursum: « Nomen meum erit tibi, » id est ipsum ex nomine meo vocabitur, « templum Domini, » juxta illud: « domus mea: domus orationis vocabitur, » Math. cap. xxi, vers. 13.

31. SI PECCAVIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, ET HABUERIT ALIQUOD JURAMENTUM, — *g. d.* Si quis vocatus ad templum ut juret, ibidem jurat se non peccasse in proximum, nec rem ejus abstulisse vel læsisse, *g. d.* Salomon: O Domine, oro et supplico, ut in templo hoc ostendas veritatem vel falsitatem juramenti, ut videlicet peccantem in templo punias quasi sacrilegum et profanantem domum tuam, ut omnibus pateat, quanta religio et reverentia templo tuo debeatur, quamque in ea tu sis præsens, et virtutem tuam spiritalem ostendas. Ita enim phrasim hanc explicat libro II Paralip. cap. vi, vers. 22 et 23. Ita Abulensis. Sic olim suspecti de aliquo crimine ducebantur ad oratorium S. Stephani, ut ibi juramento se purgarent: nam si falsum jurabant, illico a Deo puniebantur, cujus rei exempla recenset S. Augustinus, lib. XXII De Civit. Dei, cap. viii. Idem fiebat peccantibus in templo S. Martini ad ejus reliquias, uti narrat Gregorius Turonensis, lib. VIII, cap. xvi.

38. CUNCTA DEVOTATIO (perperam nonnulli legunt; *devotatio*) ET IMPRECATIO. — Hebraice, omnis oratio et supplicatio que facta fuerit a quocumque homine, in templo, etc. Sic et Septuaginta ac Chal-

deus. « Devotatio » enim est oratio et voti nuncupatio, et hæc vox olim fuit in usu, ut ex Apuleio et Cicerone ostendi Proo. XX, 23, ad illa: « Ruma est homini devotare, » vel, ut legitur Bedæ, Tyrannus et alii, « devolare sanctos. »

« Imprecatio » vero idem est quod *precatio*: ponitur enim nomen compositum pro simpliciter: minus genuine ergo per eam accipit anathematismum S. Augustinus, *Quest. XXI.*

SI QUI COGNOVERIT PLAGAM CORDIS SUI, — id est si quis acrem animi dolorem senserit, eumque oratione coram te effuderit in templo, tu exaudies et ab eo liberabis eum.

43. NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER DOMUM HANC, *Ver. 43.* — *g. d.* Domus hæc vocatur domus tua.

45. FACIES JUDICIIUM FORUM, — id est jus eis dicitur. *Ver. 45.* — *g. d.* Facies et facies, ulciscendo injurias eis factas, ipsosque liberando ab oppressoribus injustis et violentis.

48. ET ORABERINT TE CONTRA VIAM TERRE SUE, etc., *Ver. 48.* ET CIVITATIS QUAM ELEGISTI, ET TEMPI, — *g. d.* Si Judæi extra Judæam apud gentes constituti oraverint faciem suam convertentes ad terram suam, puta ad Jerusalem et templum. Sic Daniel, cap. vi, vers. 10: « In Babylone captivus contra Jerusalem tribus temporibus in die flecebat genua sua. » Et Psaltes, *Psal. CXXXIII, 2*: In noctibus, inquit, extollite manus vestras in Sancta, id est versus templum sanctum. Quin et Turce hodie in suis mochaïs orantes superstitiose convertunt se ad Mevdiem, ut respiciant versus Mecham et suum Mahometem ibi sepultum.

50. DABIS MISERICORDIAM CORAM EIS. — Hebraice, *Ver. 50.* dabis eos in misericordiam, *g. d.* Conciliabis eis gratiam apud hostes, ut ab eis misericordiam consequantur, ac misericorditer tractentur et liberentur.

54. UTRUMQUE ENIM GENU IN TERRAM FIXERAT. — *Ver. 54.* Nolent hoc nobiles delicatuli et gloriosuli, qui orant uno genu in terra fixo, altero elevato quasi pugulatori cum Deo, ne concedat quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce utrumque flexit genu, et utrasque manus in cœlum expandit, utque hoc gestu supplex perstitit toto tempore proximæ orationis sue: et nos viles pauperesque hominuli dedignamur utrumque genua flectere, ut uno supplicare Deo, altero minari eum videamur?

55. BENEDEKIT OMNI ECCLESIE ISRAEL. — *g. d.* Bene precatus est toti cœtui, sive conventui populi Israel.

59. SINT SERMONES MEI, etc., APPROPINQUANTES DOMINO, — *g. d.* Sit Dominus jugiter memor hujus orationis mee, quam ad eum pro futuris posteris sæculisque effudi. Ita Vatablus.

60. QUIA DOMINUS IPSE DEUS, ET NON CLTRA EST ABSQUE EO, — *g. d.* Non est alius Deus præter eum, sed ipse unus et solus est Deus verus.

61. SICUT ET HODIE, — subandi, factis, etc. *Ver. 61.* quoque faciatis in posterum, ut perfecto cœtui

Deum ametis, ejusque mandata universa custodias. Additur II Paralip. vi, 41: « Nunc igitur conurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tue; » ut scilicet super arcam residenti requiescas in templo hoc a me tibi fabricato, vocat « arcam fortitudinis, » quia per eam Deus Jerichentem et Chananeam duos Josue fortiter expugnavit. Pergit Paralip.: « Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem, » ut undique sint sani et salvi, ac salute quasi veste circumquaque induantur et cingantur, ut eam quoque aliis, præsertim laicis, impartiri valeant: « Domine Deus, ne averteris faciem Christi, » *g. d.* Ne meas, puta Salomonis, qui sum tuus Christus, id est rex Israelis a te unctus et creatus, preces jam recensitas, o Domine, avertas, sed exaudias et adimpleas: stimulum adhibet concludens: « Memento, misericordiarum (Hebraice *חסד* *chased*, id est pietatum) David servi tui, » *g. d.* Concede mihi quod peto propter merita Davidis patris mei, qui fuit vir pietatum et misericordiarum, tum active quam passive, quia opera misericordie multa et præclara in Sauldem exterisque Israelitis exhibuit, ideoque vicissim a te, Domine, magnam misericordiam et gratiam consecutus est.

Porro Deum exaudisse orationem Salomonis patet capite sequenti, vers. 2. Nota hic, Deum magis exaudire orationes que in templo quasi in domo sua fiunt, quam que alibi, ob casus quas recensuit I Timoth. ii, 1 et 2.

63. MACTAVITQUE SALOMON HOSTIAS PACIFICAS (quæ pro pace, id est salute et felicitate sua et populi tam oblata quam deinceps oblinenda offerrebantur juxta legem Levit. iii) DOMI VIGINTI DUO MILLIA, ET OVium CENTUM VIGINTI MILLIA. — Vide hic rituum Salomonis pietatem et magnificentiam in cultu Dei.

64. IN DIE ILLA SANCTIFICAVIT REX MEDIUM ATRII QUOD ERAT ANTE DOMUM DOMINI, — *g. d.* Illo die dedicationis templi Salomon per pontificem et sacerdotes dedicavit medium partem atrii sacerdotum, quæ erat ante Sanctum, ut in ea multa

erigerentur altaria ad tot millia victimarum in eis offerenda. Unum enim altare a Deo prescriptum, *Exod. cap. xxvii, vers. 4*, omnia hæc capere non poterat. Quare necessitas præsens exaudivit Salomonem a peccato, ut non faceret contra Dei legem vetantem erigi aliud altare, præsertim quia simul offerebat in altari a Deo prescripto victimas tot quot illud capere poterat, ceteras vero obtulit in altariibus juxta illud in atrio sacerdotum a se erectis: unde tunc totum atrium sacerdotum, vel potius dimidia ejus pars erat quasi unum altare. Ita Abulensis.

Deinceps vero Salomon in templo hoc quotidie sacrificia obtulit: sed plura et majori solemnitate ter in anno, scilicet in Paschate, Pentecoste, et festo Tabernaculorum, ut patet II Paralip. viii, 13.

65. FECIT ERGO SALOMON IN TEMPORE ILLO FESTIVITATEM CELEBREM, etc., SEPTEN DIEBUS, ET SEPTIEM DIEBUS. — Priores septem dies fuerat dedicationis templi, posteriores septem festi Tabernaculorum. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

Denique in hac dedicatione Levitæ et Cantores ac 120 sacerdotes concinebant tam voce, quam tubis, cymbulis, organis, citharis, psalteris ceterisque musicis instrumentis personabant, ut dicitur II Paralip. v, 41. Fabulantur Rabbini eo tempore portas templi sponte fuisse clausas, eumque cantaretur psalmus cxxxix, sponte apertas. Miracula vero quæ tunc contigerunt facere, quod Deus igne coelesti omnes victimas consumpsit, et suam majestatem ostenderit in nube splendida et gloriosa. Audi II Paralip. vii, 1: « Cumque complexisset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas: et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod impleset majestas Domini templum Domini. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum: et orrimentis proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus apparet Salomoni, promittitque ei thronum æternum si in lege sua ambulat; sin autem, minatur ei regni templique exterminium. Moys, vers. 10, Salomon offert Hiram regi Tyri 20 civitates; inde, vers. 17, edificat multaque varias urbes, ac omnes Chananeos reliquos sibi facti tributarios. Denique, vers. 26, classem mittit in Ophir, quæ ei offert 420 talenta.

1. Factum est autem, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis, et omne quod optaverat et voluerat facere, 2. apparuit ei Dominus secundo, sic apparuerat ei in Gabaon. 3. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam quam deprecatus es coram me; sanctificavi domum hanc, quam ædificasti.